ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

N. viro Constantino Hugenio
C. Barlæus S. P. D.

Sequor applausu victorem Nobiliss. Hugeni, et quà præit fortiter agendo Auriacus, subeo pone encomiastes. Victoriam captæ Vesaliæ, summo patriæ discrimine, nobis indulsit Deus Opt. Max. sed planè, ὡς ἀπὸ μηχανῆς. Errorem aut negligentiam nostrorum correxit maior hostium error. Discimus utrinq; neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, et parvis momentis in bello magnos casus intercedere. Epinicium hoc pari me celeritate credas scripsisse, quâ Vesaliam cepimus. Nec patiebatur præceps gaudium, ut aut prolixius scriberem, aut elaboratius. Et quia vis, ut compotem Te eorum faciam, quæ scripturienti calamo excidunt, audeo et hoc opusculum calidâ incude properatum iudicio tuo submittere. Habent tibicines in tibiarum inflatione suum ἐνδόσιμον, et prooemium suum oratores. Forte & hæc maioris triumphi, quem votis omnes præcepimus, præludia erunt. Exemplaria iis distribues, quos iudicabis à patria, à studiis, à me minimè aversos. Vale vir maxime, & Martios cantus, si istic licet, Apollinaris dilue. Lugd. Bat. III Non. Sept. CIↃIↃCXXIX.

[signature]

Aen mijn Heer
mijn Heer
Constantinus Huijgens
Ridder Raedt ende Secretaris van
sijn Exc. Oranjen [?]

Int leger int
sHeeren quartier [?]

Hug. 37.

[illegible]
6. Aug. 29.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465